UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiqvae Lectionis Tomus ...

Bipartitvs, In Qvo L. Vetera Monvmenta, Nvnqvam Visa, Pavcvlis Exceptis - Quorum Catalogum versa pagina indicat

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1604

14. Cæsarii, Sedati, & aliorum Epistolæ ad Ruricium Episcopum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-64177

Visual Library

FAVSTI
RHEGIENSIS EPISCOPI
EPISTOLÆ

Ad

Anonymum. contra Arianos. & de creaturis. Epistola 16.
Felicem. 1.
Græcum. 2.
Lucidum Epistola 3. cum responsoria Lucidi cõtra Faustum. Ep. 4.
Paulinum. 17.
Ruricium. 5. 6. 7. 8. 9.

Item

Ad

RVRICIVM EPISCOPVM
LEMOVICENVM

Epistolæ

Cæsarii. Epistola 18.
Eufrasii. 15.
Græci. 10.
Sedati. Epistola 13. 14. 19.
Taurentii. 12.
Victurini. 11.

Nunc primum ex membranis m. s. celeberrimi Monasterii S. Galli editæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ad Lectorem.

QVi scire volet, quis Faustus, quis Ruricius, qui item alii, ad quos scriptæ hæ Epistolæ, vel qui ad alios scripserunt, ille videat Sidonium Apollinarem, & Venantium Fortunatum, quem integrum, notisque accuratè illustratum dedit Christophorus Brovverus Societatis IESV. Videat item Illustrissimum Baronium. Nos hîc de singulis adtexere non volumus. Tantum de Fausto Rhegiensi, qui in m. s. appellatur Sanctus, hæc notanda videntur, quæ Baronius de hoc ipso habet in appendice tomi 10. ad tomum 6 anno 490 §. Porrò Faustus ipse cum - *ibi* miramur ab aliquibus impudenter sanè inscribi Sanctum - *his hæc adde - Ista quidem priori editione ex adductis diuersorum scriptis affirmasse, non indecens quidem fuit. At verò ex postea cognitis & adductis, rursus ad iudicium ipsum reuocandum, haud existimamus indignum; cùm tamen de eius scriptis immotæ maneant sententiæ Patrum. Quod enim vsque ad hæc tempora nostra eundem Faustum continuit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipsum Molanus primum expunxit. quod etiam, vt accepimus, Ecclesia Regiensis in Gallia, vbi ipse sedit Antistes, semper eum, vt Sanctum coluerit, celebrant eiusdem Natalem 17. Ianuarii: ibique in eius memoriam antiquitus erecta basilica eius nominis titulo insignita hactenus eius cultu à fidelibus frequentetur: Quodque tot sæculis Christiano orbe spectante, Ecclesia Romana tacente, nemine penitus (quod sciatur) contradicente, ista eidem Fausto exhibita intelligantur: opinari non prohibemur, de eodem Fausto accidere potuisse (quod de multis*

viris

viris sanctis asseritur) quod delinquens errauerit, cùm quæstio illa fuerit auctoritate sedis Apostolicæ definita, & eius opinio aliorum Patrum sententia condemnata, ipse suum errorem fuerit scriptis contrarius detestatus, quæ potuerint, vt alia quam plurima periisse; vel ipsum ante suorum scriptorum factam ab Ecclesia damnationem diem obiisse (incertus est enim eius obitus annus) habentem in animo in his sequi, quod sequendum doceret Ecclesia. Ita quidem ipsum compositum animo fuisse, aliisq; innotuisse, inde facile potest intelligi, quod semper (vt indicant Acta Conciliorum Arelatensis & Lugdunensis superius recitata) communicationem habuit cum sanctissimis Orthodoxis Galliarum Episcopis. Maneant igitur Fausto integra iura sua, nec ex nostris scriptis sentiat præiudicium: neque priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem. Hæc Baronius. Extant quædam Fausti in Tom. 3. & 4. biblioth. PP.

Margarin.

FAVSTI RHEGIENSIS GALLIARVM Episcopi EPISTOLÆ

Epistola 1. Domino piissimo & specialibus officiis excolẽdo, vt confido, in æternum Fratri, & per omnia Domno Felici Faustus.

MAgnùm pietatis & fidei testimonium &c.

VARIÆ LECTIONES.

Hanc Epistolam ideò non excudimus, quia extat tomo 3. Bibliothecæ Patrum Margar. edit. 2. fol. 407. Nobis autem propositum est edere, quæ nusquam vnquam edita. Sed ne quid omittamus, placuit varias lectiones notare.

Tom. 3. bibl. PP. fol. 408. versu 2. vestræ consultationis] *m. s. vestræ consolationis. Nam ipsa sollicitudo interrogandi, iam forma viuendi.*

Ibid. versu 4. Leonii] *m. s. Leont I. Leontius omninò est ille notissimus, de quo toties hic mentio.*

Crucis signo. hoc enim vtraq; æra exprimunt] *m. s. crucis signo. hoc enim vtraque era exprimit.*

Epistola 2. Domino Sancto & in Christo deuinctissimo Fratri Græco Diacono Faustus.

HOnoratus officio tuo, honoratus iudicio &c.

VARIÆ LECTIONES.

Tom 3. bibl. PP. extat hæc contra Nestorii errorem Epistola Fausti ad Græcum, quem m. s. codex alicubi Græcum & Græcum appellat. In margine bibl. PP. tom. 3. fol. 409. Gregorius vocatur.

Tom.

Tom.3. bibl. PP. fol.410. seniores tuos & dicent tibi] *Hic m.s. auctior ita legit: Seniores tuos, & dicent tibi. Sed absque dubio qui vel qualemcunq; requirit ducem, declinare optat errorem. Deinde, &c.*

Fol. 411. v.43. fidei solius nostri] *m.s. fidei solius Dei nostri.*

ib. v.48. nihil enim Deus sensit] *m.s. nihil enim Deus sensit patientis sensu, sed sensit conpatientis effectu. Vbi tamen legendum est: conpatientis affectu. Sicut & infra in Epistola Fausti 16. hæc sententia iterum citatur, quam Faustus defendit & explicat.*

EPISTOLA FAVSTI AD LVcidum Presbyterum.

Domino deuinctissimo, & mihi speciali affectu venerando ac suspiciendo Fratri Lucido Presbytero Faustus.

GRandis caritas est parum cauti fratris errorem &c. Epist. 3.

VAR. LECT.

Quia extat hæc Epistola, ideo eam non edimus, sed varias lectiones notamus.

Tomo 4. bibl. PP. fol. 876. in titulo. suscipiendo f.] *m.s. suspiciendo f.*

ibid. v. vltimo. id est de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit, & noluit] *Hæc verba in m.s. non sunt.*

fol. 878. v.28. aut cognoscas aut respuas] *Etiam m.s. codex his ipsis verbis finit Epistolam. Subscriptiones tamen Episcoporum in m.s. non sunt. quæ in vulgata editione Bibl. PP. ita habent.*

Et subscripserunt Episcopi, qui ordine subsequuntur, qui in ea quoq; Synodo adfuerunt.

Auxanius in Christi nomine Episcopus relegi & ß.
Faustus exemplar Epistolæ meæ relegi & ß.
Paulus Episcopus in Christi nomine relegi & ß.
Eutropius in nomine Christi Episcopus rel. & subs.
Pragmatius in Christi signo Episc. relegi & ß.
Patiens in Christo Epis. rel. & ß.

Eufronius relegi, & admiratus sum plenitudinem sanctam.
Megetius Episcopus relegi & subscripsi.
Claudius in nomine Christi Episcopus relegi & ß.
Leucadius in nomine Christi Episcopus relegi & ß.
Iulianus in nomine Christi Episcopus rel. & subs.
Lucidus Presbyter relegi & ß.

Hæ, inquam, subscriptiones non sunt in m. s. codice. Sed sequuntur quædam aliena, primo fragmentum quoddam breue auctoris incerti: deinde fragmentum ex proœmio sancti Hieronymi commentarii in Epist. ad Ephes. Tertio fragmentum Epistolæ, quæ à viro, an à fœmina sit conscripta, nescitur: ita variat sexũ dictio quod. Index Epistolarum initio attribuit S. Hieronymo, sed falsò. Quarto ponitur Epistola titulo S. Hieronymi ad Marcellam viduam, cuius hoc initium est: Quamlibet sciam sacerdotali familæ, non nisi electas verborum victimas offerendas, &c. Finis vero est iste: Quod de tam excelsis loqui præsumpsimus, imputabit. Sed hæc Epistola, certum est, quod sit supposititia, & nomini sancti Hieronymi falsò adscripta. Sequuntur postea Epistolæ Fausti, Ruricii, Desiderii, aliorumque, prout hic fideliter damus. In fine autem post Epistolam 21. quæ est Felicis ad Desiderium (& est vltima inter eas, quæ ad Desiderium scriptæ sunt) sequuntur hæc verba: Item alia manu Faustus Exempl. Epistolæ meæ relegi, & subscripsi. *Hæc, inquam, verba sunt, quibus Faustus subscripsit Epistolæ illi suæ erroneæ, quam etiam variis Episcopis misit, vt subscriberent. Cui Lucidus quod subscripserit pænitet, erroremque publicata Epistola damnauit. quæ Lucidi Epistola in m s. huic iam citatæ Fausti subscriptioni subiuncta est.*

Extat quidem tom. 4. bibl. PP. fol. 878. nos tamen integram damus, quia longe auctior est in m. s.

EX-

EXEMPLAR EPISTVLÆ LVcidi Presbyteri.

Epist. 4.

Domnis beatissimis, & in Christo reuerentissimis Patribus a *Eufronio, Leontio, Fonteio, Viuentio, Mamerto, Patienti, Veriano, Auxanio, Fausto, Paulo, Megethio, Graco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Baselio, Claudio, Vrsicino, Vrsicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplasto, Leocadio, Viuentio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, & Lycinio Episcopus Lucidus Presbyter.*

a Margarin. Leontio, Eufronio, F.V. Mamerto, P. Viriano, Auxiano, Fausto, Megetio, Paulo, Græco, Eutropio, Basilio, Leontio, Claudio, Leucadio Pragmatio, Marcello, Prætextato, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio, Viuentio, Theoplasto, Episcopis Lucidus.

COrreptio vestra, salus publica, & sententia vestra, medicina est. VUnde & ego summum remedium duco, vt præteritos errores accusando excusem, & salutifera professione me *b* diluam.

b Marg. Confessione me deluam.

Proinde iuxta prædicandi recentia statuta Concilii damno vobiscum sensum illum, qui dicit, laborem humanæ obedientiæ diuinæ gratiæ non esse iungendum. 1.

Qui dicit post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. 2.

Qui dicit, quod Christus Dominus Saluator noster mortem nõ pro omnium salute susceperit. 3.

Qui dicit, quod præsentia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod *c* Dei pereant voluntate, qui pereunt. 4.

c Mar. cum Dei p.

Qui dicit, quod post acceptum legitimè baptismum, in Adam moriatur, quicunq; deliquerit. 5.

Qui dicit alios deputatos ad mortẽ, alios ad vitã prædestinatos. 6.

Qui dicit ab Adam vsq; ad Christum nullos ex gẽtibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in aduentum Christi fuisse saluatos, eo quod liberum *d* arbitrium ex omnibus in primo parente perdiderint. 7.

d Mar. arbitrium in primo

Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel summos quoque Sanctorum etiam ante redemptionis tempora *e* in paradisi habitatione deguisse. 8.

e Mar. intra paradisum.

f Qui dicit ignes & inferna non esse. 9.

Hæc omnia quasi impia, & sacrilegiis repleta condemno.

Ita autem assero gratiam Dei, vt adnisum hominis & conatum, gratiæ semper adiungam.

f alio typo excusa, abest in Marg. edit.

Et

Et libertatem voluntatis humanæ non extinctam, sed attenuatam, & infirmatam esse pronuntiem. & periclitari eum, qui saluus est, & eum, qui periit, potuisse saluari.

Christum etiam Deum ac Saluatorem nostrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse.

Et quia nullum perire velit, qui est Saluator omnium *hominum*, maximè fidelium, diues in omnibus, qui inuocant illum.

Rom.10.12.

ꝗ *Et quia in tantis rebus conscientiæ satisfaciendum, memini me ante dixisse, quod Christus pro his tantum, quos credituros præsciuit, aduenisset, sententias Dominicas sequens, quibus ait sic, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam redemptionem dare pro multis. Et illud: Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissione peccatorum. Vel illud Apostoli: Sicut semel statutum est hominibus mori, ita & Christus semel oblatus est ad multorum exhauriendà peccata. Nunc verò sacrorum testimoniorum authoritate, quæ abundè per spatia diuinarum inueniuntur, ex seniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor, Christum etiam pro perditis aduenisse. Quia eodem nolente perierunt. Neq; enim fas est circa eos solum, qui videntur esse saluati, immensa diuitias bonitatis, ac beneficia diuina concludi. Nam si Christũ his tantum remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt; videbimur absoluere non redemptos. quos pro redemptione contemta, constat esse puniendos.*

ꝗ *Hæc absunt in ed. Margarin.*

Mat.20.28
Mat.26.28
Mar.14.24
Heb.9.28.

Assero etiam * pro ratione & ordine sæculorum alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe aduentus Christi fuisse saluatos.

** m. sp ratione & ordinẽ. Marg. per rationem & ordinem §. alios lege gratiæ, alios lege Moysi, alios lege naturæ.*

Nullos tamen ex initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis absolutos.

Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas, factis capitalibus præparatas. quia perseuerantes *in finem*, humanas culpas, merito sequitur diuina sententia: quam iuste incurrunt, qui hæc non toto corde * crediderunt.

**Mar. crediderint.*

Orate pro me domini Sancti, & Apostolici Patres.

Lucidus Presbyter hanc Epistolam manu propria subscripsi: & quæ in ea adstruuntur, adsero, & quæ sunt * damnata, damno.

**Mar. scripsi.*
**Mar. damnda.*

Domi

Domino piissimo, & in Christo summo mihi honore singulariter excolendo Ruricio filio Faustus.

LIcet per quamcunque personam iocundum mihi sit cum indiui- *Epist. 5.*
duo pectore ipsius charitatis vocibus conloqui, & sedula vos officiorum ambitione complecti; sed nunc quanto opportunius, tanto auidius pignus animi vestri, ministerio domestici portitoris assumpsi; in cuius merito minus assignauit relatio, quàm probauit agnitio. Et propterea ad fructum vestrum creuisse gratulatus sum, quod in eo vita melior conditionē primæ natiuitatis aboleuit, atque in eo næuum generis manumissio religionis abstersit, & in adoptionem Christi personam mancipii fide emancipauit & transcripsit. Quomodo autē apud eius, vel apud reliquorum fratrum lacteam sinceritatem agere *Philem. 1.*
deberemus latissimam Apostoli dispensationem, expedito digessistis alloquio, & cum eorum doctissima pagina minus doctus asserit. Nos tamen in eorum defecatis moribus admirati sumus per donum mansuetudinis & humilitatis, plenitudinem lectionis. Vincit enim largitas gratiæ instituta doctrinæ. Nā etsi sub exiguo tempore intra eorū lucida pectora, & perspicua penetralia introduxit se morum candida puritas, & præclara simplicitas, per quam diuinæ imaginis speculū in interioris hominis nitore perfulget; diuinæ, inquam, imaginis. ita enim de Domino legimus: Purus, simplex, subtilis. Sed multo aliud indicat diuina illa simplicitas. Siquidem in nobis duplex inest, in spiritu, & carne substantia. Nos quod habemus, accepimus. nobis diuersa virtutum charismata adiuncta sunt, non iñata. Sine dubio adponitur, q̄ auferri potest. vt boni simus, de auctoris sumus bonitate mutati. Ex *Act. 17. 28.*
illo quidem viuimus; sed vita, sicut ille est, non sumus. Iusti esse possumus; justitia esse non possumus. Ille ideo simplex; quia nihil ei ex accedenti largitate conlatum est. qui ex se subsistit, aliunde nihil sumpsit. Deus & viuens pariter & vita; bonus & bonitas; misericos & misericordia; in virtutum suarum gloria, hoc est ipse, quod possidet. verbotenus homo deauratus est. Deus aurum est. quod in homine gratia est, in Deo natura est. Et propterea, quia nihil ei extrinsecus accessit, nihil ei detrahi potest. Detrimentum non recipit, quia nescit augmentum. Ipse & sibi auctor & filio. quia vna origo est & fontis, & fluminis. Ex his, quæ absque initio habent, communio est, transfusio non est.

Heb. 1. 3. Sap. 7. 26. Et quia de filio legimus: splendor est claritatis DEI: Sicut nunquam Deus sine splendore, ita Pater nunquam fuit sine Filii maiestate. Et sicut vtriusque æquæua sunt nomina (nisi enim iste nasceretur, Pater ille non diceretur) ita eos sine separatione concitat vnius paternitatis antiquitas: ex illo est, sed posterior illo non est: sicut facies de capite nascitur, nec tamẽ capite suo iunior inuenitur: ac sic Deus noster nec permixtus in personis propriis, nec diuisus; vna virtus nec potestate diuisa, nec tempore. Sicut in subsistentia triplex est, quia sibi quisq; subsistit, ita in substantia simplex, quia vnus seipsum præcedere nesciens, nec posteriorem recipit, nec priorem. Inde & nos de hac accepimus simplicitate, si in nobis nihil sit dissonũ, nihil varium, nihil diuersum, si semper idem esse probabilibus studiis & fundatis in Christo sensibus enitamur, vt inmutabiles in bono, nouis tantum in diem profectibus inmutemur.

De eo autem, quod quidam prouocationis amore consuluit, salutifera & perfecta meditatio est. curas animi, partito per plures terrenæ regimine rei, subleuare, & post hæc triplici deliberatiõe tractare, quid melius sit locare, vel administrare, vel distrahere ꝓpriã portionẽ.

1. Primum reuera bonum esset, vt Christi famulus, Christi pauperis vias ex toto pauper studeret incedere, si perfectã magni alicuius monasterii scholã, vel certè insulã Angelicæ cõgregationis militiã liceret expetere. Nam in medio sæculi institutionem Eremiticam profiteri, quanta magnanimitas, tanta est difficultas.

2. *Suis verò vicis suæ pondus imponere, secundum pro animæ releuatione compendium. Sed peruidendum, si aliquis filiorum tam arduo sufficiens esse possit obsequio. *Ne forte paterna eius *sonis auctoritas in patrem .... Optimum est in secundo gradu sub noxio beneficiis administratore consistere, si vel voluntas suppetat, vel facultas necessitatem annuæ pensionis impleuerit.

f. senũ. *locus vitiosus.* *f. senũ.*

3. Tertium est per fidelium famulorum electa solacia, impositæ procurationis officiis, sub propria ac minore solicitudine quantitatẽ reseruatæ gubernare substantiæ, & eum per viam regiam tota mediocritate dirigere. Quod cũ suadeo, videor vel nostram vtilitatem, vel pauperũ cogitare. In quo ordine non parum est lucri, si reseruato vsu, proprietas distrahatur. Itaq; breuiter indicantes, quid primum, quid secundum, quidue sit tertium, electionem iudicio, vel possibilitati reseruauimus consulentis. quid magis competat quod promptius possit impleri, ille insinuare dignetur, pro cuius timore & amore consolatio

ipsa tractatur. Dominus Deus noster beneficia in nobis sua felici ac placita longæuitate multiplicet, Domine piissime, & in Christo summo mihi honore singulariter excolende fili.

Domino deuinctissimo & tota pietatis virtute singulariter excolendo fratri Ruricio Faustus. 6.

PRopitia diuinitate in secreto religionis congruo, & tranquillissimo in silentio constituti, in quo Dominus ad rubiginem lõga securitate contractã, salutiferæ lima castigationis admonuit. In hãc, inquam, qui & magna, si agnoscamus, vacatione donati, dum nouos ciues commercio charitatis adquirimus, dum de acquisitorum salute gaudemus, inter hæc positi bona, præsenti insultamus exilio, & patrẽnos non amisisse, sed commutasse cognoscimus. Nam dum fideles famuli DEI in necessitatibus nostris bonitatem suæ deuotionis exercẽt, sine sede propria possessores, sine possessione diuites sumus. Imò eos, q̃ de nostra fructũ accipiũt consolatione, ditamus; miro modo consolatores nostri de pauperculis negotiãtur, & de egenis lucra perpetua cõsequũtur. Ego autem hanc primam munificentiam, Domino largiẽte, percepi, quod piissimus meus RVRICIVS post vitæ huius iactationes ad portũ religionis, proram salutis, excelsi manu gubernante, cõuertit, quod post vmbras seducentiũ vanitatum & inlusiones transuolãtium somniorũ, mansura & solida concupiuit, & despecto tandẽ sæculo infelici, artem eius magnam rapuit; felicitatem & lucrum sui de mundo percunte adquisiuit, arte fideli, atq; conlabentium rerũ fuga præteriens, qua opes contemptu suo contulit; quæ iam vsu suo conferre nihil poterant. Vnde quanta dudum alacritate sęcularibus studiis militauimus, tãta nũc deuotione Domino seruiamus. Et quia me austerius loqui secũ ꝑ peccatorum curatione, pietas vestra cõstringit, & illius sententiæ nõ obseruat inuidiam, quæ dicit: Iustus in principio sui est accusator. In primis ergo lapsus oris, cordisq; vitemus. Sed quod Oris, diximus; si cordi studueris adhibere custodiã, ori nõ laborabis imponere disciplinam. Sine difficultate ostiũ circumstantiæ opponere poterit labiis suis. Illud siquidẽ voce depmitur, q̃ prius in officina conscientiæ deformatur. Hoc exterior reddit, quod dictat interior. mens exercet imperium; lingua famulatum. & propterea cœlestibus edocemur colloquiis: Ex abundantia cordis os loquitur. Quod de sermone nasci videtur, prius cogitatione concipitur. Vt oris sonus indigna non proferat, animus iusta præcipiat.

Prou. 18. 17.

Psal. 140. 3.

Mat. 12. 34

Et quia duo sunt ieiuniorum genera, vnum incontinentiæ appetitum à malè blandis deliciarum suauitatibus coercere; vt exterior & terrenus homo vomere crucis edomitus cõmoda infirmitate marescat. Alterum abstinentiæ genus est multo sublimius, multo pretiosius, cui nulla contradicere possit infirmitas, motus animi regere, & inrationabiles perturbationes vel conluctantiũ inter se cogitationũ tumultus, interioris iudicio refrænare, & contra impugnationes occultas, vel cõtra domesticos inimicos rixã quãdã irascẽtes, fidei auctoritate conterere, & per beneuolẽtiã, mansuetudinẽ, patientiã, trãquillitatem; Dei imaginem in facie interioris excolere: cuius decus non in corporis personam, sed in animi formam solertia factoris impressit.

Virum spiritualia & diuina cogitantem tristitia non frangat, lætitia non resoluat, stabilitum in timore Dei pectus magnanimitas æqualitatis ostendat: vt & nobis coaptari possit libelli illius insigne principium, vbi ille magnificus HELCANA, qui possessio DEI interpretatur, vir vnus mystico nuncupatur eloquio. Erat, inquit, vir vnus, hoc est, semper idem. quia nihil in eo apparebat dubium, nihil duplex, nihil varium, nihil diuersum; sed eum in statu virtutum inconcusso ordine permanentem, accedentia in contrarium non commouebant; mutabilia tempora non mutabant; nec eum, vt magnis virtutibus moris est, in alternas partes leuia ventorum flabra versabant. Ita & sollicitus Dei famulus vasta mole fidei fundatus, in hoc tantum, Christo in se operante, mutatur, vt nouis semper gratiis induatur. In agro pectoris plantentur vtilia, noxia succidantur. Et quia militibus suis præcepit sermo diuinus: Cùm, inquit, ad bellum processeris, & inter reliquas prædas petieris virginem, abscindes vngues, & crines eius; & ita eam tibi coniugio copulabis. ita nos ad sanctam, Christi timore præcincti, prudentiam sæculi, quæ simplex, incorrupta, sincera, à Deo facta est, captiuam spiritali sapientiæ subiungamus, ac superflua eius, amputatis vitiis, abscindamus, & pectori casta coniunctione sociemus.

1. Reg. 1.

Deu. 21. 12.

Ante omnia in quantum, adiuuante Deo, possumus, illas in nobis debellare curemus quinq; sensuum passiones. Quidquid enim pulchrescit visu, quidquid blanditur odoratu, quidquid lenocinatur adtactu, quidquid dulcescit gustu, quidquid corrũpit auditu, hęc omnia, si his abutamur, intentionem mentis de spiritalibus ad terrena deuoluent. Et ideo sicut pater fidei quinq; illos Reges in trecentis decem & octo, mysterio in --------- latente deuicit; Ita per adiutorium

Gen. 14. 14.

Domini,

Domini, & per CRVCEM suam has quinque principalium vitiorum expugnare studeamus illecebras. Per CRVCIS enim SIGNVM, & per SACRVM IESV nomen, apud GRÆCOS HERA vtrius supputationis imprimitur. Quibus armis carnalia delectamenta superantes merebuntur audire: Vincenti dabo coronam vitæ. Et: Qui vicerit non læditur à morte secunda. Vnde ipse facile terrena despicis, vel fœnerantis more dispensas, dum illud cogitas tempus, quo exurentur peccatores sicut fœnum, quo æstuantes gehennæ furore perpetuo, cuius fumus ascendit in sæcula sæculorum. Hi, qui neglexerunt oblata, tali morte punientur; vt eis mori in dolore non liceat: morituri vitæ, & morti sine fine victuri. Dum illud, inquam, tempus ante oculos tuos prouida in futurum mente disponis, de quo legimus: Introibo in domũ tuam cum holocaustis. id est, quãdo bonorum operũ fructu subfarcinatus, & iustitiæ insignibus redimitus ianuam vitæ cum triumpho euictæ carnis intrabis. De quo legimus: Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus, id est, animæ Christo de gentibus adquisitæ, munera non de suo offerent; cum gratiarum actione dicturæ: Ecce multiplicaui talentum quod dedisti. Recipe cum vsura domine fœnus tuum. Erit enim tum quoddam dandi & accipiendi commercium inter hominem & Deum. Homo afferet, quod laborauit; & Deus restituet, quod promisit. Quo tempore cùm sanctus alter pro altero remunerandus, corona duplici pro mutua salute decorandus, audire mereberis: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Apoc. 2.
Apoc. 8. 7.
Apoc. 19. 3.
Psal. 65. 13.
Psal. 44. 13.
Matth. 25.

Tunc vsum præsentium in æternorum proprietatem transisse miraberis, & pro datoribus tuis glorificandus, debitorem te ei fieri, iocunda rerum mutatione gaudebis.

Indiuiduum filium nostrum LEONTIVM, omnemque domum piis illos cum maioribus pio fospitamus officio. Dominus Deus noster beneficia in vobis sua, felici & placita sibi longæuitate multiplicet, Domine deuinctissime, & sola pietatis virtute singulariter excolende frater.

Leontius.

Domino deuinctissimo, honore præcipuo, specialiter excolendo, Ruricio, filio, Faustus. Epist. 7.

GRatias Domino, qui id generali dispensatione largitus est, vt inter eos quos locorum interualla discriminant, liber ac nullis conclusus absentiæ legibus animus commearet; nihilque esset tàm impe-

netrabile, quod mentis aspectibus non pateret; sed per cordis intimũ inde se inuicem cari, gratia intercurrente, conspicerent; vbi caritas ipsa consistit.

Habet siquidem & interior noster oculos suos, quib' se cõscientiæ testis introspicit; quibus in se conuersus aut erubescenda, aut gaudenda consideret; quibus diem vltimũ peruidet; quibus vel confusibilem, vel, Deo tribuente, laudabilem totius vitæ historiã, ante animæ suæ faciem prouida in futurũ cogitatione disponit, & in præsentiam trepidæ sollicitudinis tempus reddendæ rationis adducit; & ea, quæ parauit Deus diligentibus se, in secreta pectoris sui pagina, spe imaginante, depingit. Quos, vt puto, oculos & ipse ad tremẽdi Iudicis thronum semper attollis, vt de te illud Propheticum meritò dici possit: sapientis oculi in capite eius. * Inde est ab eo enim illic filius mater... ditores tuos. Inde est, inquam, quòd præsentium rerum relinquenda subsidia, quasi auidus fœnerator; per pretia captiuorum, in sinu remuneratoris, seminantis more, commẽdas; de vsu proprietatem facis, & in perennes thesauros peritura conuertis. Inde est quod cum fidelissima SARA tua sub vno CHRISTI iugo ad communem tendens coronam, terrenorũ despector, & cœlestium competitor, sæculi peregrin', & Paradisi candidatus; mundo huic, qui iam non habet, vnde decipiat vel seducat, miles Christi secretus inludis. cũ regni interminabilis sociaiuniis, & orationibus, & quadam fidei manu ianuã vitæ, pia coniuratione, pulsatis, vt duplicem palmam de mutua salute capiatis.

Esa. 64. 4.
1. Cor. 2. 9.
Eccle. 2. 14.
**Locus vitiosus.*
Sara.

Sed inter hæc parum est, quidquid agitur, vt causæ insanabiles hic sanentur, vt inextinguibilis ignis hic extinguatur, vt ineluctabiles necessitates hic superentur, vt hic peccatorũ sagittæ de animæ visceribus euellantur, vt hic vulnera ipsis altè medullis impressa curentur, vt hic maculæ inuisibiles diluantur, vt hic æterna gaudia fidelium studiorum labore comparentur. Illic quidem vita præmium istius erit; sed oportet, vt illius ista sit pretium.

Prælatis itaq; obsequiis, quæso, vt cùm se facultas opportunè præbuerit, gaudere nos de vestra sospitate ac proprietate faciatis. Pro filiis & diaconibus meis vberes refero gratias. Domnam filiam meam religionis speculum, & pietatis exemplum, debito cultu veneratus saluto. Dominus Deus noster magnificandam mihi bonitatem vestram, & præsentibus repleat bonis, & dignam reddat æternis, Domine deuinctissime & honore præcipuo specialiter excolende fili.

Domi-

8.

Domino Beatissimo, & summo mihi honore ante omnes singulariter excolendo Fratri Ruricio Episcopo Faustus.

TAnta mihi de animi vestri benignitate fiducia est, vt ex eius fonte purissimo nõ iam solus haurire cõtentus sim, sed alios quoq; qui eius vsu mecum reficiantur, inuitẽ. Præsertim cùm progata huius largitas in lucrũ transeat largientis; eiusq; bono ita muneretur accipiens, vt nõ minoretur impertiẽs; & in morẽ fœnoris sui crescat expẽsis, Domine beatissime, & summo mihi honore ante omnes singulariter excolende.

His itaq; caritatis inexsolubilem pensionem, quo soluentis magis census dilatus, exhibeo, & materiam boni operis ingerere pro laborãtũ commendatione presumo. Quia etsi insinuationẽ meam ad fructũ vestrũ pertinere confido. & ideò misericordiã, quam miseris Ecclesiastica præbere consueuit humanitas, harum portitori, qui in LVGDVNENSI pertulit captiuitatem, negare non potui. Vtinam tàm possit prompta esse fidelium largitas, quàm huius nimis manifesta necessitas est. Et quia in se aliquatenus absolutus, in vxore vel filiorum tenetur seruitute captiuus, prælatis officiis, quæso, vt morem benignitatis vestræ, etiam in huius consolatione teneatis; & apud ante positos, quò poposcerint, litteris prosequaris.

Conseruus, & præcipuè admirator vester, frater meus, Presbyter MEMORIVS mecum reuerentissimè solpitant. Dominus Deus noster memorem mei piam beatitudinem vestram Ecclesiæ suæ profectibus felici longæuitate conseruet, domine beatissime, & summo mihi honore ante omnes singulariter excolende frater. *Memorius*

9.

Domino Beatissimo, debita pietate suspiciendo, atq; Apostolica sede dignissimo, Fratri, Ruricio, Episcopo, Faustus.

GRatius ad vos, dum vobis de patria scribimus, qui nobis patriam in peregrinatione fecistis, q; indefessa liberalitate patriæ desideria temperastis; vim quandam diuinæ iustitiæ succedentibus sibi beneficiis inferentes; vt quod intulerat ad castigationem, conuerteret ad honorem, conferret ad consolationem, mutaret ad requiem mentis; nostra prætermitteret, vt vestra cumularet; debita obliuiscens, & lucra vestra multiplicans; apud vtrasque partes magnitudinem suæ bonitatis exercens, nos vestro locupletaret obsequio, vos nostro dita-

ditaret exilio. Vnde factũ est, vt iam in præsenti benedictionẽ, futurorum impatiens, dispensaret, & fidelissimum famulum suum super candelabrum domus suæ, cooperante misericordia, iustitia, sinceritate, continentia, benignitate, id est, domesticis suffragatorib', sublimaret. Ecce quali precio RVRICIVS meus summum sacerdotium comparauit. Vnde emit, ipsum est, quod emit; & testibus propriis adclamantibus, in se honoris causas, refugia honoris exhibuit. Tantum itaq; munus scit in CHRISTI nomine custodire, qui sciuit adquirere.

Harum autem portitorem sanctum Presbyterum FLORENTIVM mihi iam diu cognitum, & exemplis magistri, & morum florib' adornatũ; qui pro germanæ suę absolutione peregrinatur, insinuo, qui mihi oportunum gratus mediator ingessit. Omnem domũ *nostram, seniores cum iunioribus paterno sospitamus affectu. Conserui mei, debitores, & admiratores vestri, mecum reuerentissimè sospitant. Dominus noster magnificandam mihi beatitudinem vestram Ecclesiæ suæ profectibus, nostrisq; gaudiis perfecta longæuitate cõseruet, Domine beatissime, debita pietate suspiciende, atque Apostolica sede dignissime frater.

** fort. vestram.*

10. ***Domino religionis honore sublimi, ac fidei meritis magnificando filio Ruricio Græcus.***

GRatias DOMINO, quod fidei vestræ meritum sicut proficit deuotione, ita crescit & opere. Laborantium necessitates sollicitudine puenis, benignitate foues, humanitate sustentas. His enim rebus, iuxta Apostolum, spiritu feruentes, Domino seruientes, spe gaudentes, diuinas vobis æternæ retributiones acquiritis. Sed in sublimitate vestra ista non noua sunt; quia animus vester sicut plenus est Dei timore, ita plenus est caritate; Caritate, inquam, quæ solo vsu proficit, & largiendo succrescit; & pensum sciens, & detrimenta non sentiens. Dum enim dependitur, non expenditur; sed magis, dum prorogatur, augetur; eiusq; gratia ita muneratur, percipiens, & nõ minoratur impertiens, q̃ ad similitudinem diuinitatis dat ꝙ habet, habetq; quod dederit.

Rom. 12. 11.

11. ***Domino beatissimo, ac Reuerentissimo, atque à me debito cultu singulariter obseruando in Christo patrono Ruricio Episcopo Victurinus.***

CVm beatitudinem vestram videre, & breuissimo tempore, & vna tantum vice meruerim, ita tamen ad primum vestrę cognitionis, con-

contemplationisq; congressum sensus meos fonte purissimo benigno pectoris intraslis, vt, quālibet alloquiorū vestrorum munera pretiosa non capiam, præsentia tamen vestram intra mentis ꝓfunda possideā: vt etsi causas desiderii refouendi extrinsecus non accipiam, intra me eas tamen, dum gratiæ vestræ reminiscor, inueniam. Neq; enim fas est, vt bonum illud ex accedentibus tantū requirat adiutoriis incrementum, ꝙ medullis constat infusum. Quo fit, vt caritas, quæ in visceribus meis iugi reconlatione vestri innouata dulcescit, caritatis mihi vestræ vicissitudinē repromittat. Ac sic affectus erga vos meus vestri mihi animi fideiussor accedit, & quodāmodo cōscientia interioris mei mutuo mihi vestrę testis dilectionis adsistit. quantumcunq; mihi de vobis ꝓsumere debeam, mentē meam, quæ toto erga vos amoris ardore flagrat, interrogo. Vnde salutationem deferens, & intercessionem deposcens pro harū portitore, insufficientes gratias refero. Et quia infelicē ipsius laborem; quo pro absolutione vxoris per diuersarum regionū est iactatus exilia, mors redemptæ protinus subsecuta cassauit, & nunc rursus pro filiæ redemptione anxietas paterna distenditur, vestris cum litteris prosequi pro cumulanda mercedis vestræ vbertate iubeatis.

Pius Dominus Reuerendam mihi Beatitudinem vestrā ad profectum & ornatum Ecclesię suæ, & annis multiplicare dignetur & meritis, Domine beatissime, ac Reuerentissime, atque à me debito cultu singulariter obseruande in Christo patrone.

*Domino Sancto ac Beatissimo, & omni mihi cultū atque honore venerando Patri, & in Christo Domino Patrono Ruricio Episcopo * Turentius.* 12.

**al. Turcitius. Tureitius. Taurentius,*

Litteræ, sanctitatis vestrę me spiritali cibo pastum incitauerunt ad spem futurorum, & verba Prophetica claritate radiantia, ad discutiendas errorum tenebras, purissima luce fulserunt. Recognosco plenum caritatis affectum, & sinceritatem piæ castigationis. Amplector eloquentiam in verbis, in exemplis perfectionem, in cōsilio gratiā, in officio indulgentiam, in veritate constantiam, in admonitione veritatē, & scientiam. Probatis in dogmate vos antiquos Scripturarū interpretes, & diuinorū voluminū tractatores, veneranda mihi nomina, CYPRIANVM, AVGVSTINVM, HILARIVM, AMBROSIVM, sed & illustres alios facundiæ flore vernantes, alios & in releuandis occultioribus spiritales, alios mulcendis imperitorum sensibus blandientes, alios in

fidei assertione pugnantes. Præteritæ calumniamur ætati, quòd viros illos admiratione dignissimos hæc sæcula non tulerunt: pro certo doctrinam iunioris ambirent, qui ante docuerunt. Ego autem ætatem eam non de canentium putamine capillorum, nec, sicut Beatitudo vestra de sæculari autore mutuata est, de colore barbæ albentis agnosco. Cùm etiam si non essem in computo senescentis, annos decrepitos membrorum per morbi incrementa sentirem. Sed omnium precum humilitate deposco, vt pro correctione morum meorum, pro inspirando mihi desiderio pœnitendi, pro Domini nostri propitiatione in sanctis vestris orationibus supplicetis, vt qui ad vitandum proclivellius viæ in perniciosa vergentis, rectum, & cum labore gradiendum iter ostenditis, & ingressum boni operis & piæ emendationis obtinetis effectum, non in feruore disciplinæ, sed in indulgentiæ medicina, & misericordiæ lenitate. Hanc quoque vobis conferte mercedem. debetis enim fœnus Domino de thesauro, qui fidei vestræ traditus, & vobis illo commendante susceptus est.

Adquirite desperantes, arguite negligentes, deditos somno ignauæ securitatis excutite, desides excitate. Decet ouem perditam in humeris suis bonum reportare pastorem, & munitioribus caulis eas, quibus lupus insidiatur, includere.

Sanctum AVGVSTINVM, sicut iusseratis, inueni, quem cum filio communi RVSTICO PRESBYTERO esse credebam. Operæ pretium est, vt admiremini studium meum, quòd quæ opuscula continebat, huc usque nesciui sane.* capitulatim iam librum traditurus inspexi. Charta ceus liber est, & ad ferendam iniuriam parum fortis. quia citius charta, sicut nostis, vetustate consumitur. legite si lubet, atque transcribite. Et spero, vt postquam vobis bene cognitus fuerit, ad me, cui est incognitus, remittatur: quia corrigere negligentiam meam frequentata membranæ ipsius lectione dispono. Ora pro me.

*f. capitulatamen l.

13. *Domino sancto ac beatissimo, & Apostolica reuerentia suscipiendo Papæ Ruricio Sedatus.*

SAtis credidi, & quàm habere iter vobis laboriosum esset, & vehementer optaui, vt ad necessitatem istam, quæ hic nos exhibuit, veniretis vel per occasionem; & benedictionem vestram mererer, & desiderium commune mutuo saciaretur aspectu, & vere posteaquam me præsentiæ vestræ spes frustrata est, velut de votorũ culmine decec', & labor, qui incubuit, & absentia domus, & omnia, quibus ægritudo

dece-

deceptæ spei, & anxietas cumulatur, in animum meum pariter conuenerunt. Et scit Dominus, quod si vires suppeterent, aut parere desideriis, ætatis infirmitas pateretur; aut si essent animalia, quibus tantum tali tempore posset itineris expediri, non prius ego à THOLOSA reuerterer, quàm beatitudinis vestræ, & singularis illius caritatis benedictionem desideratissimam promererer. Sed quia hæc quæ supra dicta sunt, desideriis obsistunt; rogo, & per Christum vos adiuro, vt me vobis vestra semper pietas repræsentet. Nec patiamini, vt pro officiorum tarditate caritatem imminuat, aut obfuscet obliuio. sed pro me, sicut facere vos certus sum, incessanter oretis; & quotiens oportunũ fuerit, seruum vestrum per conloquia literarum visitare dignemini.

Domino sancto, ac beatissimo, & Apostolica reuerentia suscipiendo Papæ, & meo speciali apud Dominum patrono Ruricio Sedatus. 14.

REfecit me filius noster, salutem, salutationemq; tuam nuntians: per quem ego quas non merui litteras? Dedi ex hoc desiderio meo satisfaciens, si vel officii ad vos pagina perueniret. Saluto itaque plurimum, & rogo per illam caritatem, quæ mihi affectum dignationemque tuam nuntiat, ne te pigeat, quotiens oportunum, seruum tuum litterarum munere visitare. Quia testor Dominum, quod post præsentiam tuam nihil mihi dulcius est, quàm si conloquium desiderantissimæ pietatis, vel litterarum dignationem meruero. Rogo etiã, & omni prece deposco, vt pro me, sicut facere vos certus sum, sine cessatione intercedere, & orare dignemini. Filios nostros & venerans & desiderans saluto.

Domino sancto, meritis beatissimo, Papæ, honoris cultu suspiciendo, atq; Apostolico Patri, Domino Ruricio Episcopo, Eufrasius. 15.

TÆdiosam pietatem vestram esse tenui rumore cognoui. sed harum baiulum destinaui, vt anxietatem meam de acerbitate nuntii celeriter releuetis. Quia scit diuina pietas, quod & tristitiam & infirmitatem vestram non compatientis, sed perferentis dolore participo. Sic ita concedat diuina miseratio, vt mihi per multos annos exterioris vestri vigorem, & alacritatem integræ sanitatis indulgeat. Quia vere tunc reparatum esse me sentio, si de sospitate vestra celerius optata cognouero.

Annotatio in sequentem Epistolam Fausti, quæ est decima sexta.

Gennadius de hac Epistola loquitur, dum ait: *Legi eium & aduersum Arianos & Macedonianos paruum libellum, in quo coessentialē prædicat Trinitatē, Et aliū, aduersus eos, qui dicunt esse in creaturū aliquid incorporeū. In quo diuinum testimonium, & Patrum confirmat sententiū, nihil credendū incorporeum præter Deum.* Hæc Gennadius. qui duos distinctos libellos facit ex hac vna Fausti Epistola, cuius prima pars est contra Arianos; alia contra eos qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum. Neq; mirum quod seiunxerit Gennadius. Nam & in bibliotheca Patrū Margar. 2. edit. tom. 4. fol. 759. illa pars huius Epistolæ de creaturis, quòd illis nihil incorporei insit, auulsa est à prioribus, & separatim edita, cū priora lucem, quod ego sciam, nunquam viderint. Nos integram hanc Epistolā damus; hac tamen admonitione: Turpem & grauem errorem esse hunc Fausti, eorumq; qui Fausto fauerunt (vt videtur etiam Gennadius fecisse) negantium, nullam creaturam esse incorpoream. Refutauit hunc errorem, imò hanc ipsam partem huius Epistolæ Claudianus Mamertus Viennæ Galliarum Episcopus in libris de statu animæ, Patritio & Sidonio inscriptis, qui libri extant tom. 4. biblioth. PP. 2. edit. fol 763. Vide D. Thom. 1. q 51. a 1. q. 6. de potentia. a. 6. & Baronium tom. 6. Annal, & in appendice tomi 10. ad tomum 6.

Incipit Epistola sancti Fausti.*

** ita m. s. sed vide appendicē tom. 10. Baronii ad tō. 6. Ann. tō. 4. bibl. PP. edit. 2. fol. 759. fragmentum huius Epistolæ extat, vt infra notabimus.*

QVæris à me Reuerentissime Sacerdotum, quomodo ARRIANIS respondendum sit, qui blasphemo ore conantur adserere, Non potest, inquiunt, fieri, nisi vt iunior sit genitus ab ingenito. Iuxta quæ totū silentiū quasi iussus absoluere; non tam ꝓ rei instructione, quàm ꝓ fidei confessione præsumā. Id primitus obseruans, ne res per se obscuras studio cōpositi sermonis inuoluam; sed quædā pauperis sensus indicia, quæ nō tam ornatui, q̄ intellectui videantur seruire, depromā.

Respondeo ergò sicut respondere discipuli Magistris interrogātibus solent. Itaque ad præceptum Beatitudinis vestræ loquor, vt discutias imperitiam. Contestor, vt doceas. Nam apud eruditissimum si reticeam, vix possum scire, quid nesciam.

De ingenito loquuturi, scire debemus, aliud esse rerum substantias, aliud rerum nomina. sicut verbi gratia, cùm aurum atque argentum dixeris, non statim metallum ipsum, sed metalli vocabula protulisti. Etenim aurū aliud est in proprietate generis, aliud in appellatione sermonis. Aliud est, cùm illud nominamus, aliud cùm tenemus.

Genitus & ingenit° significatio est Deitatis, nō ipsa deitas. Natura est appellatio non natura ingeniti & geniti nuncupatio. Ad hoc valet, vt quis ex quo subsistat, intellegas. & non Patrem ex Filio, sed Filium ex Patre esse cognoscas principium ex principio, & vnum est,

& initio caret. Quomodo si dicas: Deus ex Deo: non tamen duo Dii; sed vnus dicitur. Genitus ergo, & ingenitus* ex vtraque procedens, personas indigitat, non naturas. Maiestas enim, quæ Patri est indiscreta cum Filio, & Spiritu S. distingui nominibus potest; ordinari gradibus non potest.

leg. & ingenitus, & ex vtroq; p.

Hoc loco præscius oportet intentionem mentis admoueas.

Dicis forsitan, Quia ex illo est, posterior illo est. Age ad hæc intellectum nostrum aliquibus comparationibus nutriamus. Videamus si aliqua res ex alia existat, quæ tamen illa, ex qua existit, non sit ætate posterior; verbi gratia, hoc ipsum filii nomen ex patris deriuari nomine creditur, nec tamẽ posterius inuenitur; quia nisi iste nasceretur, pater ille non diceretur. Ecce nomen, quod absolutè coæuum illi est, à quo est, & cum filius ex Patre sit, patri nomen filius facit; adquirit genitori vocabulum pietatis persona nascentis; cum hoc ex illo sit, nec hoc posterius, nec aliud probatur antiquius. Et cùm Brachii nomine Filius ex operum virtutibus nuncupetur; ecce brachium procedit ex corpore, & tamen brachii ætas corpus nõ p̃cedit. Verbũ ex voce profertur, & tamen cum ex ore nascitur, voce esse posterius non probatur. Ignis & calor indiuisa societas; sed cum calor indubitãter ex igne esse intelligatur, tamen ignis nequaquam calore suo prior esse dinoscitur. Ecce rem, quæ existere videtur ex illa, & tamen ei, de qua existit, sine vlla temporis intercessione coniuncta est.

Cum autem ad Deum venimus, hoc est, genitus, quod Iustus & Iustitia, sapiens & sapientia, misericors, & misericordia, absolutè ex Deo iusto atque sapiente secundum Apostolum oriri intelligimus iustitiam atq; sapientiam. Et sicut nunquam iustus sine iustitia, nunquã sapiens sine sapientia fuit; ita Filius ex Patre, sed nunquam potuit esse sine filio.

Absq; dubio ARRIANI Saluatorem nostrum negare non audẽt. Sed dum minorem dicũt, Deũ adserere non possunt. Deus enim naturaliter plenitudinis dignitate subsistit. & corũ impietas vnũ se Deũ colere prima confessione testatur. Sed qui iuniorem per eum, qui putatur senior duos facit, & soliditatem vnitatis intersecat. Nã ipsũ nomen minoris alterũ, qui illo sit maior ostendit. Quis illo antiquior, qui de seipso pronuntiat, Ego sum Alpa & O, primus & nouissimus? Qui cum Iudeis, qui esset, interrogatus, ita respondit; Principium, ꝙ & loquor vobis. Qui veridica per Prophetam voce confirmat: Ante me non fuit Deus, & post me non erit. Si Pater hoc dicit, inferiorẽ post

Esa. 44. Apoc. 1. Ioan. 8. 25. Esa. 43. 10.

Baruch. 3. 36. Baruch. 3. 38.

se non cœpisse confirmat, si filius ante se penitus non fuisset pronuntiat. De hoc Propheticus sermo euidēter insinuat: Hic est Deus noster, & non reputabitur alius ad eū. Et post hæc inter homines visus est, & cum hoībus conuersatus est. Secundū hæc ergo inter genitum, & ingenitū nec ordo est; qa vnus est: nec tēpus interest; qa primus est: nec postponēdus est; qa solus est: nec minor dicendus est; quia plenus est. Ergo dicitur perfectus, simplicisq; naturæ, inæstimabilis & impassibilis; etsi eum secundum carnem passum esse pro nobis veraciter & salubriter confitemur.

Hoc dictū extat supr. in epist. 2. Fausti ad Græcū Diaconū. quæ epist. excusa typis est, tom. 3. bibl. PP. edit. 2. fol. 411.

Post hæc sequenti loco quæris à me, quomodo iuxta substantiam Dei in * epistula quadā scriptum sit: Nihil sensit patiente sensu, sed sensit compatiente affectu.

Primo hoc, quod nec Philosophos latuit scire promptissimum. In homine diuersæ affectiones, id est, iustitia, misericordia, sanctitas, beneuolentia, pietas, res accedentes sunt, & ideo affectus vocantur. Deus verò his non possibiliter afficitur: quia ei inesse iugiter & naturaliter dinoscuntur. Ergo quod in homine affectus ex gratia, in Deo virtus est ex natura. Nam quod dictum est: Nihil sensit patientis sensu, sed sensit conpatientis affectu: Cur quisquā illo sensu dicere non præsumat, quod etiā Propheticū cōmemorat: Domine ne in ira tua arguas me, neq; in furore tuo corripas me. Et: Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum. Et iterum: Iratus est Dominus populo suo, & abominatus est hæreditatem suam. Et item diuerso affectu Iacob dilexisse, & Esau odio habuisse describitur. Contristari in peccatis nostris, & lætari dicitur in operibus suis, & affectibus subiacens de se ipse dicit: Pœnitet me fecisse hominem. Et de summa cœli sede pronuntiat: Saule, Saule, quid me persequeris? Nam & compatientis ostendere affectum videtur cum dicit: Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere: & reliqua huiusmodi quæ memoriæ abundanter occurrunt.

Esai. 6. 2. Ps. 37. 1. Ps. 109. 4. Ps. 105. 40. Malac. 1. 3. Rom. 9. 13. Gen. 6. 7. Act. 9. 4. Mat. 25. 35

Quomodo ergo, si qsquā sacerdos multiplici linguarum scientia præditus, & in medio diuersarum gentiū constitutus, Hebræum Hebræo, Græcū Græco, Romanū Romano instructurus adloqo secundū singulorum intellectū verba cōfirmet, & iuxta vnius cuiusque sensum oris sui coaptet adloquium, & dissonis vnius cordis expectatas pectoris voces in varios dispenset auditus, Ita & Deus cum homine locuturus, adsumere dignatur hominis linguam, formam etiam susceptūrus humanam, per intellectuum nostrorū sonos ordinationum

ſum noſtrarum teſtatur affectus. Nam dum quinq; humanorum ſe-
ſuum officia deſcribens, ita dicit: oculi Domini ſuper iuſtos, & aures
eius ad preces eorum. Et iterum: Os Domini locutum eſt. Item: Et od-
oratus eſt odorem ſuauitatis. Et: Manus mea fecit hæc omnia. Cœ-
lum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Cor-
dibus noſtris efficientias inſinuat rerũ ſub ſignificatione membrorũ.
Vnde pro ineffabili eius circa humanum genus dignatione, ſeruos, a-
micos, ac filios nominare & compellare non deſpicit, vt homo cum e-
odem viciſſim humano ore, & more conloquutus.

Pſ. 33. 16. Eſa. 1. 20. Gen. 8. 21. Eſa. 66. 1.

Cæterum Dei ira, iuſtitia eſt; Dei furor, ſeueritatis vigor eſt; Dei
iuraſſe, definiſſe eſt; Dei pœnituiſſe, ſententia, tamẽ *ſæpè muta; Et
cùm ſe, perſequente aliquo, lædi dicit, crimen lædentis oſtendit. Inter-
cluditur nobis omnimodis orationis miniſterium, omniſq; ratio, qua
dicitur, vel intelligitur, vel prædicatur; ſi hæc humani ſermonis com-
mercia ſubtrahuntur. Cur ergo dici inter iſta non poſſit, SED SENSIT
CONPATIENTIS AFFECTVI?

*f. ſæpe mutata.

Si ergo diſcutienti Magiſtro ſimplex & aperta reſponſio ſatis-
fecit, tranſeamus ad tertiam quæſtionem, qua *a* vt reſpondeam *b* præ-
cipis: Quæ in rebus humanis corporea, quæue incorporea ſentienda
ſint.

a *Ab hoc verbo quæ ſequũtur, in modum ſeparati libelli ſeu Epiſtolæ, extant tom. 4. bibl. PP. 2. edit. fol. 759. Turpis ſanè error hic Fauſti, de quo vide annotationem in hanc 12. Ep.* b *in margine m. l. codicis adiunctæ erant aliqua, quæ hunc ſenſum videntur reddere (neque enim aliò inſeri poſſunt, niſi huc, & quidem ſignò appoſito) vt reſpondeam, præcipu ventilationem huius quæſtionis minimæ, Quæ &c.*

Ad hæc aliqua non pro ſenſus mei præſumptione promam, ſed
pro Sanctorum opinione ſeniorum. Præſertim cum hæc animum læ-
dere non poſſint, & ad fidem nutrire poſſint, & vſq; ad id, quod Patri
Filius æqualis appareat, contra ARRIANAS armare, atq; *c* regere vale-
ant prauitates. Ergo quando de tractatu altiori conlatio eſt, ad ſubti-
liorem intellectum ſenſus & animus præparandus eſt. Nonnulli e-
ruditiſſimi Patrum alia adſerunt eſſe inuiſibilia, alia verò incorpo-
rea. Quidquid creatum eſt *d* materia videri, & factori ſuo com-
prehenſibilem, & corporeum eſſe definiunt. Nam & animarum, &
Angelorum naturam adſerunt eſſe corpoream, pro eo, quod initio
circumſcribãtur, & ſpatio. Nam ſicut in quodam S. HIERONYMI tra-
ctatu legimus globos, inquit, ſiderum *e* corporatos eſſe ſpiritus arbi-
trãtur. Et item: Si Angeli, inquit, cœleſtia corpora ad comparationẽ
Dei iſmunda eſſe dicuntur, q.d putas homo æſtimandus? ſed inter hæc

c *Marg. atq; erigere exigere v.p.*

d *Marg. materiam videri.*

e *M. vitiosè: compæratos.*

tu

tu animam negas esse corpoream, quia iuxta aliquorum opinionem nec localis sit, nec *f* qualitate credi debere manifestum est. Legimus enim in quodam receptissimo Patrum tractatu: Ingredi, inquit, & implere omnia, soli est possibile Trinitati: quæ sicut vniuersæ intellectualis naturę efficitur penetratrix, vt non solum circumplecti eam atque ambire, sed etiam inlabi ei, & velut incorporea corpori possit infundi. Licet enim pronunciemus nonnullas spirituales esse naturas, vt sunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipsa quoque anima nostra, vel certè aer iste subtilis; tamen incorporeæ nullatenus æstimandæ sunt. Habent enim secundum se corpus, quo subsistunt, licet multo & incomparabiliter tenuius, quàm nostra sunt corpora, secundum Apostoli sententiam, dicentis, & corpora cœlestia, & corpora terrestria. Quibus pro manifesto colligitur, nihil esse incorporeum nisi solum Deum. Et ideirco ipsi *g* tantummodo per se penetrabiles omn. atq; intellectuales esse substantias. Quæ cum ita sint, obiicit mihi, ideo animam non esse incorpoream, quia, vt dictum est, nec localis sit, nec qualitate, aut quantitate subsistat. Quod *h* cuius sit periculi, ita in hac status nostri habita discussione pendebit, vt si nec localis sit, nec qualitati subiaceat, esse eam haud dubiè incorpoream concedamus. Si verò demonstraro eam quãtitate determinari, locoue concludi, consequenter eam etiam corpore contineri; necipse iam dubites. *i* Quomodo non localis est, quæ inserta membris, & inligata visceribus, solis motibus *k* vaga conditione substantiæ tenetur inclusa? Quod si localem non esse animam, ideo assumendum putes, quod per diuersa sensibus euagetur, & cogitationibus deferatur, primum intelligendum est, quòd aliud sit animæ status, aliud hic qui de anima nascitur cogitationis *l* affectus. quãobrem vt hoc potius *m* æstimandum est, quod si quando sibi aliquid imaginatur, magis cum suis intra semetipsam motibus occupatur. & si quid *n* illud est, quod aspicere videtur, *o* magis ei in cordationis speculo describatur. Nam quando absentem suum carum cogitat, nunquid iam velut ipso conspectu desiderio satisfecit? Aut cum, verbi gratia, Petri aut Pauli speciem intra mentis arcana depingit, nunquid statum intimas paradisi sedes, vbi eos esse nouimus, penetrauit? Aut cum sibi in corde diuitis illius flammas ex lectione proposuit, nunquid iam ad eius tormentorum loca cuiuis inaccessibilia inferni profunda descendit? Hæc omnia procul dubio aut secum intra pectoris arcana per varias similitudines fingit; aut certè si extra animæ sedem instabilis cogita-

f M. *nec qualitate nec quãtitate subsistat, quod de sola Dei maiestate credi debere m.e.*

1. Co. 15. 40.

g M. *tãtũmodo pene trabiles omn. intellectuales esse s.*

h M. *cuiusmodi periculi sit ita credere, in subsequẽtibus demõstrabitur. nunc vero in hoc tractatus nostri statu ẽdebit, vt si nec l. s. n. q. subiaceat anima.*

i M. *Quomodo localis est.* *k* M *vacans.*

l M. *effectũ.*

m M. *existimandũ.*

n M. *aliud.*

o M. *magis in cordationis.*

cogitatio lubrico motu agitata discurrit, hoc ipsum localiter *o* agit. Et si-
ue vrbem, siue quamcunq; regionem cogitet, ibi tantum sensu cõmo-
rante defigitur quo animi intentione *p* raptatur. Imaginari sibi aliqua
potest; complecti omnia simul non potest. Cum ergo anima Alexan-
driam vel Hierosolymã cogitauit, *q* siue illic tota sui præsentia vt arbi-
traris, interfuit, referat nobis situs locorum, vultus hominum, motus
actusq; populorum. Sed hoc ipsum, quod nunc inter nos commercia
sermonum mutua spiritus actione *r* scimus, loqui me vobiscum, sed
apud conscientiam meã sentio; ad vos me accessisse non sentio. Nam
si verè anima cum suis ferri sensibus creditur, & his, quorum remini-
scitur ipsa per se suis cogitationibus præsentatur. Ecce per hæc præ-
sentis temporis momenta vos cogito, & animo reminiscente vos vi-
deo, & quorum omnimodis quid geratis, & vtrum quieti, an lectioni,
vel orationi vacetis, ignoro. Sed hoc ideo euenit, quia ad vos cordis af-
fectu, non ipsa substantiæ meæ veritate peruenio. Neq; enim in suis
motibus, quos nunc optimos, nunc pessimos esse sentimus, animę no-
strę natura consistit. Nam si per cogitationes suas constare credenda
est, cur eis interdum euanescentibus atq; pereuntibus ipsa in sui vigo-
re atq; alacritate perdurat? Quantæ ergo in nobis frequentissimæ co-
gitationes & curæ etiam salubriter moriuntur, & vitæ magis *s* libertati
interioris operantur! Si ipsis anima constaret, absq; dubio ipsis *t* per-
euntibus superesse non posset. Vnde hoc magis ipsa conscientiis no-
stris ratio loquitur, quod vnaquæq; anima aut multiplicia cogitata re-
rum causis intra se *v* concepta parturiat, aut sensus suos velut quædam
officia aut ministeria diuersis necessitatibus occupanda dispergat,
ipsa vero in conclaui corporis sui semel de eo exitura req; escat. Quam-
obrum localem esse ipsam, vt denuo sufficiens proferam' exemplum.
Nonne anima Lazari manente vita, intra corpus fuit; secedente au-
tem vita de habitaculo corporis exulauit, & rursum in exanimũ refusa
corpus, illò vnde se absentauerat, euocata remeauit? Tunc eam tan-
quam ex hospitij habitatione depulsam, & rursum inter hospitium,
vnde absentauerat restitutam vides; & localem non esse contendis?
sed quid ego hæc de corruptibili homine loquar? Quum ille, cuius
caro non vidit corruptionem, immaculatam quidem animam posse-
derit, sed localem, quam vtiq; intra se habuit, quando adfixus est in pa-
tibulo, extra se procul dubio emisit, quando iacuit in sepulchro. quo-
modo non est localis, quam caro continet, coniungit vita, mors sepa-
rat? Quod si, vt dicis, localem necessitatem animarum natura non *x* re-
cepit;

p M simul rapitur.
q M. si vere illic
r M. miscemur
s M. libertatem operantur
t M. vitio sè: per eum
v M. concepta parturiat, aut quædam officia aut mina. n. occupata d.
x M. restitit

cepit; non desunt ergo & de regione paradisi, illæ quæ carcere claudunturinferni? dic quæso, si locales non sunt, quomodo peccatores à cœtibus consorciisq; iustorum iustum illud chaos tristi interiectione discriminat, vt neq; hinc illuc possint accedere, neq; inde huc transmeare? Iam illud manifestissimum est, quod quantitate circumscribantur, quæ spatiis continentur. Si agnouisti animam localem, concede corpoream. Dic mihi anne ipsa gloriosi anima redemptoris nostri reliquit mundum, quando conscendit ad cœlum?

Ego autem ne angelos quidem locales esse dubitauerim, quos certum nunc in cœlestibus contineri, nunc per aëris vacuũ ferri, nunc ad terrena diuertiti; quos sermo diuinus ascendentes, & descendentes in Patriarchæ visione describit. vtiq; si locales non essent & vbiq; esset, adesse atq; discedere ascensu descensuq; non possent. Ipse beatissimus Gabriel, qui se ante Dominum astare testatur, cùm cælorum Dominum Mariæ infundendum visceribus nuntiaret, cumq; sub Dominiq; oculis genitricis adsisteret, sine dubio cœlo *y* erat, maria non superuolabat, vacua atq; diffusa, venti vasti aëris non implebat, sed illũ tantũ locum in quo erat, occupabat. *z* Quæ cũ ita sint, quidquid locũ occupat, corpus est. nescio quomodo locali lege non teneatur, qui de loco ad locum mittitur, & velut corpus motu accessuq; transfertur, mole decedit, mobilitate discurrit, vadit, redit, absentat, descendit. Vel ille, credo, localis est, nec se solum localem esse prodidit, qui secum tertiam partem stellarum ex alto proturbatus abstraxit. Dic mihi si corpus non habet, in illa deiectione quî decidit? quid illi negas corporalem naturam, cuius negare non audes ruinam? Et si, vt dicis, corpus non habet, non ardebit; vbi autem nisi in corpore sentiet ignem illum qui paratus est diabolo & angelis eius? Iam illud dici superfluum puto, illum in aëris istius conuersatione quandam crassitudinem de elementorum cõcretione traxisse. Dic mihi si corpus non habet vbi inhærere concretio, vbi hæc ipsa nescio quæ colligere se potuit crassitudo, si secum aliquid corporale de illa cœlesti arce non detulit? Alienum, vt video, corpus ad tormentum portabis. Corpus itaq; esse etiam ex sua adsertione recognosce. Corpus est ꝙ inficitur, ꝙ maculat, ꝙ quacunq; ex accedẽti adiectione, *a* vertit. Hic ergo dudũ primogenitus angelorũ, nunc primus factus est *b* tenebrarum & quasi corporeus pulcher ante, nunc degener; dudum cœlesti splendore conspicuus, nunc tetro infernalis peccati horrore fædatus. Corpus inquã est quod habet, actione depellitur, quantitate circumscribit, qualitate mutatur, dolore conficitur. quæ

y M. deerat.

z M. quæ cum ita sint, qui de loco ad locum mittitur &c.

a M. vitiatur.

b Ab hoc verbo quæ sequuntur, non sunt in excuso codice Marg. vsq; ad illa verba in fine: Vnus ergo Deus.

quæ cum ita habeant, quin corporeum dicunt animum? Vide in quàm profundum se crimen immergant. Iam primum cum auctor vniuersitatis Deus omnia in numero & pondere fecisse referatur. Ergo anima à materia vniuersæ creaturę excepta esse creditur: quæ non est corporea, nec localis est, si loco non continet. ergo vbiq; diffunditur; omnia intrare, implere, & vbiq; præsens esse dicitur, ac sic creatori suo creatura sociaretur, & fragilitas auctori suo non iam res Dei, sed pars Dei, æstimanda iungitur. Vide quo adsertores suos ducat alti per lapsos errores. Equidem nobis ea quæ supra nos sunt, inuisibilia sunt; sed omnia illa, si cut comprehensibilia, ita & corporea sunt. qui ex nihilo fecit omnia, quę sicut opere instituit, ita & materia corporauit, & rebus omnibus, inter quas & anima censetur, sicut distribuit pondus numerum, ita & posuit qualitates. Inter hæc si forte, vt dictũ est, adserendũ aliquis putet, quod illa angelicæ subtilitate naturæ quædam contagio aëris huius admixtione collecta, flammis inueniatur obnoxia; ergo in aëre solo, prout ait, si aëreum est, quod ardebit non in illo, sed extra illum pœna desæuiret. sed absq; dubio non aliud est, quàm substantia corporis, vbi dominari poterit vis doloris. Vide quo tendat imprudens & inperita persuasio, qui incorporeum loquitur, & iam incomprehensibilem confitetur: ac sic condito adscribit operi, quod soli competit conditori; ac rebus creatis communicat priuilegia maiestatis, & indebitam creaturæ potentiam vsq; ad factoris extendit iniuriam. Si bene requiramus ad quos rerum exitus animum referas, hæc vel maxime diabolum crudelitas ex illa beatæ sedis statione deuoluit, & propter hoc angeli perdidit dignitatem dum se Dei præsumit habere naturam. c Vnus ergo Deus incorporeus, quia & incomprehensibilis, & vbiq; diffusus, ex nulli' enim facturæ corpore materiale sumpsit exordium. Et ideo coæternus Filius Patri, quia ex nullo opere conditus nullisque initiis circumscribitur; super omnia quæ figulo suo comprehensibilia atque corporea intra mundum corpus operatus est incorporea maiestate diffunditur. Ex ingenito genitus, id est, ex Patre, sed semper cum patre, his quæ excitauit ex nihilo, indiscreta sancti spiritus societate Dominatur. Amen.

c Hucusq; m. s. codex habuit ea quæ in vulgato absunt.

Epist. 17. Domino insigni, & summo mihi honore speciali-
ter excolendo Paulino Filio Fau-
stus.

ADmiranda mihi semper, &c.

NOTA.

HÆc Epistola ideo hic non excuditur, quia iam extat tom. 3. bibliotheth. Pp. 2. edit. fol. 403. hoc titulo:

Rhegiensis Galliarũ Episcopi, Sancti Faustini ad Benedictum Paulinum.

Male tamen Faustinus appellatur. Nam hæc Epistola Fausti est.

Nos varias lectiones notamus hic:

Tom. 3. bibl. Pp. fol. 403. versu 4. cogitans] *m. s. rogitat & timore.*

Ibid. v. 32. vtrum sola proficiat ad salutem vnicæ] *m. s. vtrum sola sufficiat ad salutem fides ex vnitate scientia Trinitatis.*

Fol. 407. v. penult. Tunc autem baptismi gratiam habetis] *m. s. Tunc autem baptismi gratia ab æterna morte posit hominem vindicare, si in aliquibus eius integritas & dignitas non periret.*

Fol. 408. v. antepen. infinitis contentionibus] *m. s. infinitis contritionibus imponamus, & intoleranda incendia nunc salubriter cogitando, ex ipsis ignibus æterna nobis refrigeria comparemus.*

* Ab hoc verbo usq; ad finem auctior est m. s. codex quam excusus.

* *Certus autem sum de fide vestra quod falerati composito nitore sermonis acceptiora vobis erunt salutifera sinceræ testimonia veritatis. Filium meum* EMINENTIVM, *dulce decus nostrum, paterno sospitamus affectu. Dominus noster admirandam mihi magnificentiam suam præsentibus repleat bonis & dignum reddat æternis.*

Epist. 18. *Domino sancto meritissimo in Christi luminaria præferendo & plurimum in Christo desiderando piissimo Domino Ruricio Episcopo Cæsarius Episcopus.*

DVM nimium tribularetur animus meus, quare ad SYNODVM vestram præsentiam non meruimus obtinere, sanctus & Domnus meus VERVS Episcop' mihi dignatus est dicere, q̃ per suũ diaconũ mihi * Agate vestras litteras destinasset, quas ego nescio quo casu, aut qua negligentia me non retineo suscepisse. Sed tamen sancto & Domino meo fratri vestro certissimè credo; & malo hoc portitoris negligentiæ imputare. Sed licet sanctos & desiderabiles vestros apices

* *fort. a cagitate vestra.*

miseri-

miseritis, tamen sicut ipsi optimè nostis, dignissimum fuerat, vt personam dirigeretis, quæ ad vicem vestram subscriberet; Et quod sancti fratres vestri statuerunt, in persona vestra firmaretur. Sed quia noui, quàm sancto, ac frequenti, & pio desiderio interesse volueritis omnibus fratribus vestris, votum vestrum, & sanctam voluntatem exposui, pro qua re nihil pietati vestræ vel potuimus, vel debuimus imputare. Sed licet desiderabilem vestram præsentiam non habuerimus, orationum tamen vestrarum suffragia nos meruisse persentimus. & ideo his dictis saluto plurimum affectu & honore, quo dignum est; & rogo, vt me sanctis & inlustribus precibus simul ac meritis Domino commendetis. simulq; indico pietati vestræ, & quia filius vester Evdomivs si potuerit hoc elaborare, desiderat, vt superueniente anno Tholosæ synodum, Christo propitio, habeamus, vbi etiam si potuerit, Hispanos vult Episcopos conuenire. Et ideo * oro te, vt tam sancto desiderio suo Dominus tribuere dignetur effectum. *+ fort. oratse.*

Sanctum vero & dulcissimum fratrem meum Capillvtvm presbyterum, amatorem & prædicatorem vestrum, vestræ sanctimoniæ, quanta valeo insinuatione cõmendo; & pro ipso vobis ingentes & vberes gratias ago, quia quantum ipse asseruit, tantum se circa illum impendit pia & sincera beneuolentia vestra, vt hoc nullus hominum possit exponere. Nunc ergo quia pro vestro desiderio æstuans pietatem vestram expetiit, dignum iudicaui, vt per ipsum humilitatis meæ literas destinarem. quo remeante, si Christus annuerit, apices vestros, quasi cœleste munus desidero promereri. Ora pro me. 19.

Domino sancto ac beatissimo & apostolica reuerentia suscipiendo Domino & Papæ Ruricio Episcopo Sedatus Episcopus.

Epistola ad quam hic respondet Sedatus, extat infra in Ruricii li. 2. Ep. 34.

Equum quem per fratrem nostrum presbyterum transmisistis accepi; magnificis verborum vestrorum phaleris honoratum; in via vilem; in Epistola pretiosum; mouentem se, cùm foditur calcaribus, aut vrgetur verberibus; & nihil penitus promouentem: forma deterrimum, colore vilissimum, molliorem plumis, statuis pigriorem, solida corpora pauescentem, vmbras, solum, vt credo, de consuetudine non timentem; fugitiuum, cùm dimittitur; immobilem, cùm cæditur; in planis stantem, in asperis conruentem; qui teneri nesciat, ambulare non possit; quem prius, quàm viderem, dum Epistolas vestras relego, illorum de gente esse credidi, quos Dædala

CIRCE

Supposita de matre nothos furata creauit.

Putabam illum calidum animis, acrem cursibus; ignem, cùm exhiberetur, elatis naribus efflaturum, concussurum solido cornu campos; celeritate ventos & flumina præcursurum. Talē enim mihi splēdidissimus Epistolę sermo promiserat. Credebam etiā, quod illū manducantem frenos, terentem morsibus ferrum, duo fortiores viri, ne euaderet, retinerent. Nec me fefellit. Nam trahebāt eum aliquot; impingebant alij, & plures cædebant. Quem vt sic exhibitū vidi, optaui, vt talia, qualia erant, non qualia Epistola mea continet, semper caris vestris munera mitteretis. Ego tamen quia mihi non reliquistis in transmissi muneris laude quod dicerem ne omnino.....

Quæ sequū tur, sunt ex Epistola Sidonii ad Hecdicium lib. 2. Ep. 1.

Quique etiam pari contrarietate fata, quæ quia non parcerent, PARGAS vocitauere. Rediit ipse CATILINA sæculi nostri nuper ATVRRIBVS, vt sanguinem fortunasq; miserorum, quæ sibi ex parte propinauerat, ex asse misceret.

Scitote in eo per dies spiritum diu dissimulati furoris aperiri. Apertè inuidet, abiectè fingit, seruiliter superbit, indicit vt dominus, exigit vt Tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus, toto die à metu armatus, ab auaritia ieiunus, à cupiditate terribilis, à vanitate crudelis, non cessat simul furta vel facere, vel punire, palam, & tridentibus conuocatis, ructat inter ciues pugnas, inter barbaros litteras. Epistolas, ne primis quidem apicibus sufficienter initiatus publice à iactantia dictat, ab impudentia emendat; totum quod concupiscit, quasi comparat, nec dat pretia, contemnens. nec accipit instrumenta desperans. In concilio iubet; in Consilio tacet; in Ecclesia iocatur; in conuiuio prædicat; In cubiculo damnat, in quæstione dormitat. Implet quotidie syluas fugientibus, villas hostibus, altaria reis, carceres clericis; exultans GOTHIS, insultansq; ROMANIS, insudens Præfectis, conludensq; numerariis, leges THEODOSIANAS calcans, THEODORICIANAS proponens; veteres culpas, noua tributa perquirit. Proinde moras tuas citius explica. Et quidquid illud est quod te retentat, incide. Te exspectat palpitantium ciuium extrema libertas. Quidquid sperandum, quidquid desperandum est, fierite medio, te præsule placet. Si nullæ à republica vires, nulla præsidia; si nullæ (quantum rumor est) Anthemii principis opes, statuit,

te auctore, nobilitas seu patriam dimittere,

seu capillos. Vale.

NOTÆ

NOTÆ IN EPISTOLAM XIX.

NE omnino quiq; etiam pari contrarietate] Codex m. ſ. hæc ſine vlla diſtinctione coniungit. Ego ſeiungo & lacunam noto. Nam ab hoc verbo, *quiq; etiam*, vsq; ad finẽ huius Epiſtolæ, omnia ad verbum ſunt Sidonii ad Hecdicium lib. 2. Ep. 1. quæ ſic incipit: *Duo nunc pariter mala ſuſtinẽt Aruerni tui. Quænam? inquis. Præſentiam Seronati, & abſentiam tuam. Seronati inquam, de cuius vt primum etiam nomine loquar: Sic mihi videtur, quaſi præſcia futurorum luſiſſe fortuna, ſicuti ex aduerſo maiores noſtri prælia, quibus nihil eſt fœdius, bella dixerunt: quiq; etiam pari contrarietate, fata, quia non parcerent, Parcas vocitauere. Rediit* & ceteta, quæ vsq; ad finem in m. ſ. ſunt. Quomodo autem hic error contigerit, vt pars Epiſtolæ Sedati ad Ruricium, & pars Epiſtolæ Sidonii ad Hecdicium ab exſcriptore hic perperam ſint coniuncta, non facile aſſequor. niſi ſcriba inciderit in codicem, in quo pagellę quædam exciderunt. Contigiſſe autem hic talem errorem patet ex Epiſtolarũ indice in fronte libri, vbi poſt hanc Epiſtolam Sedati ad Ruricium notantur variæ Epiſtolæ Sidonii, quarum nulla in m. ſ. codice ſcripta eſt. Index enim hoc modo habet:

Epiſtula Sedati ad Ruricium.
Epiſtula Sidonii ad Conſtantium.
Alia Sidonii ad Eucerium.
Alia Sidonii ad Tetradium.
Alia Sidonii ad Aſperum.
Al. Sidonii ad Proculum.
Al. Sidonii ad Domnolum.
Al. Sidonii ad Nymphidium.
Al. Sidonii ad Simplicium.
Al. Sidonii ad Taumaſtum.
Al. Sidonii ad Ruricium
Al. Sidonii ad Papianillam.
Al. Sidonii ad Lupum Epiſcopum V.
Al. Sidonii ad Cenſorium.
Al. Sidonii ad Patientem.
Alia Sidonii ad Mamertum.

Alia Sidonii ad Agrœcium Episcopum.
Alia Sidonii ad Sulpitium.
Alia Sidonii ad Ruricium.
Alia Sidonii ad Gothum.
Alia Sidonii ad Principium Episcopum.
Alia Sidonii ad Remegium Episcopum.
Alia Sidonii ad Faustum Episcopum.
Alia Sidonii ad Heresium.
Habet in sequenti Epistularum libros 2. domni Ruricij Episcopi.
Deinde Epistularum librum vnum domni Desiderij Episcopi.
Item Epistulas diuersorum ad eundem domnum Desiderium.

Nulla Epistola Sidonii ex his in codice m. s. est. nisi quod fragmento Epistolæ Sedati ad Ruricium perperam sine vlla distinctione coniunctum est aliud fragmentum Epistolæ Sidonii ad Hecdicium. Et statim sequuntur duo libri Epistolarum Ruricii. Hæc monere volui. Nam diu me torserat hic locus.

ATVRRIBVS] ita expressis literis m. s. Recte ergo Sauaro in Epist. 1. lib. 2. Sidonii ita correxit, & notauit. Aturres sunt Nouempopulaniæ, ab Aturro fluuio, Aturres, vt ab Astura, Astures, Floro l. 4. sub finem. de Aturro, & Aturrico pisce, vide Sidon. lib. 8. Epist. 12. *civitas* Aturensium Notit. Prouinc. in Nouempopulana Prouincia, quam Itinerarium Antonini Adturrem vocat, vbi de Gallia Narbonensi. Et quod maxime facit ad hanc veterem lectionem, & Sidonii mentē, erat tunc temporis Gothicarum partium. Commonitorium Timothei: *Anianus vir spectabilis ex præceptione D. N. Gloriosissimi hunc codicem de Theodosiani legibus atq; sententiis iuris vel diuersis libris Aduris anno 22. eo regnante edidi, atq; subscripsi.* Vulgo Aire.

Quæ sibi ex parte propinauerat] Sidonij vulgatus codex: *quas ille ibi ex parte propinauerat, hic ex asse miscueret.*

Ex qua phrasi licet coniecturam ducere, hoc fragmentum Epistolæ Sidonii esse, nō Sedati. nā Sidonius de eodem Seronato lib. 7. Ep. 7. *Seronatum barbaris prouincias propinantem.*

Indicit vt Dominus] Sidonius lib. 5. Ep. 13. de eodem Seronato: *nunc inauditis indictionum generibus exhaurit*

Non cessat simul furta] vulgata editio: *non cessat simul furta vel punire, vel facere palam, & ridentibus.*

Villas hostibus] *m. s. hospitibus.*

Altaria

Altaria reis] *ita & m. s. licet in margine sit posita hæc vox, risis.*

Concludensque numerariis] *m. s. vitiosè: conlaudansq; numariis. ita enim in medio hæc vox rasa, & postea nescio à qua manu signo hoc iuncta est. Vide quæ notat Sauaro hic de numerariis.*

Citius] *vulg. citus.*

Incide] *m. s. incidite.*

Anthemii] *ita lego cum Sauaro, nam m. s. hic mutilè: Ante.*

EX VENANTII FORTVNATI LIB. IV. CARM. V.

EPITAPHIVM RVRICIORVM EPISCOPORVM, CIVITATIS LEMOVICINÆ.

Inuida mors rapido quamuis miniteris hiatu,
Non tamen in sanctos iura tenere vales.
Nam postquã remeans domuit fera tartara Christus,
Iustorum meritis sub pede victa iaces.
Hic sacra Pontificum toto radiantia mundo,
Membra, sepulchra tegunt; spiritus astra colit.
Ruricij gemini flores, quibus Anniciorum,
Iuncta parentali culmine Roma fuit.
Accumulante gradus prænomine, sanguine nexi,
Exultant pariter hinc auus, inde nepos.
Tempore quisq; suo fundans pia templa patroni,
Iste Augustini, condidit ille Petri.
Hic probus, ille pius; hic serius, ille serenus,
Certantes pariter quis sibi maior erit.
Plurima pauperibus tribuentes diuite censu,
Miserunt cœlos, quas sequerentur opes.
Quos spargente manu, redimentes crimina mundi,
Inter Apostolicos credimus esse choros.
Felices qui sic de nobilitate fugaci
Mercati, in cœlis iura senatus habent.

Ruri-